



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 3. Sext. Cæcilius quid responderit ad ea quæ Faunorinus contra legem talionis obiecorat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



in eadem fenestra obdormiat, meq; inibi transeuntem desuper cadens obruat. Quam conditionem & talionem, cum acceptare nollet actor, potiusque occisum inultum censeret relinquendum, quam tantò vitam suam, proscribendam, totum iudicium desijt in cachinnos. Hæc talia cum ijs, quæ Favorinus disputavit, obijci possunt contra legem talionis.

## §. III.

*Sex. Cæcilius quid responderit ad ea, quæ Favorinus contra legem talionis obiecerat?*

Ad quæ Sex. Cæcilius in disciplina juris atque legibus populi Romani noscendis interpretandisque, scientia, usu, auctoritateq; illustri, amplexus utraq; manu Favorinum, præter cætera, sic respondit: Maiores nostri quibusdam iniurijs talionem quoque apposuerunt, quam quidem tu talionem, vir optime, iniquius paulò insectatus es: ac ne consistere quidem dixisti, lepida quâdam solertia verborum: quoniam talioni par non sit talio: neque rumpi membrum facile possit ad alterius ruptura (ut ais tu) æquilibrium. Verum est, mi Favorine, talionem ratissimam fieri difficillimè. Sed decem viri minuere atq; extinguere volentes huiusmodi violentiam pulsandi atque ledendi,



eo quoque metu coercendos esse homines putaverunt; neque eius, qui membrum alteri rupisset, & pacisci tamen de talione redimenda nollet, tantam esse habendam rationem arbitrati sunt: ut an prudens imprudensque rupisset, spectandum putarent, aut talionem in eo vel ad amissum aequipararent, vel in librili perpendere: sed potius eundem animum eundemque impetum in eadem parte corporis rumpendi, non eundem quoque casum exigi voluerunt, quoniam modus voluntatis prestari posset: casus ictus non posset. Quod si ita est, ut dico, ut & ipse aequitatis habitus demonstrat: taliones illa tua reciproca argutiores profecto, quam veriores fuerunt. Sed quoniam acerbum quoque esse hoc genus poena putas: qua, obsecro te, ista acerbitas, si idem fiat in te, quod tute in alio feceris: praesertim cum habeas facultatem paciscendi: & non necesse sit pati talionem, nisi eam tu elegeris? quod edictum autem praetorium de aestimandis iniurijs probabilius esse potest? nolo hoc ignores, hanc quoque ipsam talionem ad aestimationem iudicis redigi necessario solitam. Nam si reus, qui de pacisci noluerat, iudici talionem imperanti non parebat: aestimata lite Iudex hominem pecunia damnabat. Atque ita, si reo & pactio grauis, & acerba talio visa fuerat, seueritas legis ad pecuniam multam redibat. Ita Sex. Cæcilius      §. IV.